



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 2. De Mari Concreto, seu Glaciali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

seu *Nortkim*, extenditur Plinio teste cap. 13. lib. 4. vbi ex Philemone notat hoc mare ad Rubeas Prom. à Cymbris *MORIMARVSA* cognominari, quæ vox *Mare Mortuum* sonat. Quæ verba duplicem patiuntur expositionem: prima est Cluuerij, qui vocem hanc à *Cymbris* sumit pro *Cymbricâ Chersoneso*: altera apud *Cymbros* significare putat, tum quia absurdum esset mare ad Daniam dictum esse *Mortuum*, tum quia malè ingentem peninsulam pro termino Plinius vsurpasset. Claudianus Germanicum *Cymbricum* appellat, siquidem in eum effundit Fl. Rhenum.

*Germanici* effusio est *MARE BALTHICVM* de quo veteres tubanter admodum scripsere, aliter *Codanus Sinus*, & *Balthicum* mare dicitur ab insulâ *Balthia*, cuius meminit apud Plinium *Timæus*, *Diodoro*, & *Pythæa Bassia*. *Codanus* autem ab insulâ *Codanonia*, cuius mentio apud *Melam*, quia satius maria à terris, quàm terras à maribus accipere nomen.

### §. 2. De Mari Concreto seu Glaciali.

*Hvrvs* Maris reperio nomina plurima: nam aliquando *Hyperboreum* appellatur, quòd hinc frigidior ventus existeret: aliquando *Concretum* *πετρωδὸς*; aliquando *Mortuum* *νεκρον*, ob debilem Solis illic potentiam, vel quia nullis æstibus aut motibus hoc mare crederent veteres intumescere; *Cymbris* autem *Morimarusa* vt suprâ innuimus. *Iuuenalis* Satyra 2. *Glacialem* dixit, quoniam gelu totum rigere plerique veterum putauere; licèt id *Galenus*, atque *Macrobius* constanter inficiati sint, dixerintque aquam tantùm in mari concrefcere, quæ ex fluminibus defluens nondum falsuginem contraxisset: quod verissimum esse recentes *Argonautæ* detexere. Et verò quomodo vehemens hic æstus maris fluctus concrefcere pateretur? vt pluribus ostendit *Paulus Merula*, qui *Cosmographiam* suam *Batauis* consecrauit, à quibus facilè mendacij potuisset argui. Mare autem hoc *Concretum* diuiditur apud probatos auctores in *Almachium*, *Chronium*, & *Pigrum*.

*ALMACHIUM* tradit *Hecatæus* apud *Plin.* lib. 4. cap. 13. nominari Oceanum Septentrionalem, & hanc vocem significare linguâ *Scythicâ* *Mare congelatum*: quod extendi puto ex verbis *Plinij* ab Oceano *Eoo* ad Fl. *Paropamisum*, quem *Ptolemæus* *Oechardem* appellare videtur, licèt contrà sentiat *Cluuerius*, qui

hîc multa turbat, atque confundit: probabile est quoque dictum esse SCYTHICVM.

CHRONIVM seu *Saturnium* porrigitur à Fl. Paropamisio ad *Rubeas Prom.* vulgò *Nort Cap*, aut *Novikin* ex Plinij mente, atque dictis. Sic autem appellatur vel à virilibus Saturni huc proiectis, vel à planetâ Saturni hîc dominante, vel quod hîc regiones abundant plumbo, ideóque carcer Saturni finguntur à Mythologis: at plumbum exprimi nomine Saturni à Chymicis quis ambigit? Quod autem Dalecampius hanc dictionem *Chromium* deflectit à voce *Groenland* minimum vaticinatur.

PIGRVM supra Scotiam versus Thulem & *Rubeas Prom.* extendebatur, & à Tacito *immutum* dicitur, & *grave remigantibus*, & ne ventis quidem attolli posse. Cuius lentoris multas causas proferunt veteres. Tacitus, Dionysius & Eustathius id referunt in Solis abcessum. Tacitus putat quoque tantam molem non posse vento commoueri. Festus Auienus credit nullos hîc ventos esse, quia hîc terræ rariores ex quibus exhalatio ventorum materies, quod ex libris Olai refutatur. Idem Festus causam refundit in algam marinam, quam *Fucum* appellat, quâ irretiuntur naues. Himilco Carthaginensis qui eodem tempore iustravit Borealem plagam, quo Hanno Australem, lentum hoc esse scripsit mare ob belluas, & pisces innumeros inter quos reptât potiùs naues, quàm procedunt. Pytheas denique Massiliensis apud Strab. lib. I. vulgavit hoc mare *Εοικὸς πνεύμονι θαλάσσιω*, simile *pulmoni marino*, ideóque *μήτε πορευτὸν, μήτε πλωτὸν εἶναι*, neque pedibus, neque nauibus traici posse, cuius se mendacij testem profiteretur.

## CAPVT III.

*De Mari interno in genere.*

DE hoc mari quatuor consideramus in præsentia, Nomen, Coniunctionem, Ortum, Diuisionem.

NOMEN I. & communissimum *Mediterraneum*, quod medias terras subeat. II. *Interior* ἢ ἔσω θάλασσα, ob eandem causam. III. *Pontus* apud Herodotum in Melpomene, vbi ait Geryonem ἔξω Πόντου habitasse *extra Pontum*. IV. Scriptoribus Latinis & Græcis *nostrum* ἢ κατ' ἡμᾶς. V. Videtur à Pomponio Mela lib.